Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

videns episcopus cui fuerat commendatus multa signa per eum fieri. et spiritus immundos expelli: petentibus eum sepe multis episcopum ordinari eum in amplia civitate destinavit. Dominus autem semper cum eleutherio erat.

Hunc adrianus imperator romam de partibus orientis advenit: audiensque eleutherii famam. quia signa et virtutes per eum dominus in urbe et in loco ad quem fuerat destinatus demonstraret. misit felicem comitem cum ducentis militibus: et exhiberi eum precepit. Veniens vero felix comes cum equo ingressus est ecclesiam: et invenit eum tractantem verbum.

Videns autem sanctus eleutherius felicem comitem: dixit ad eum. Quid ad nos cum tanta tyrannide venisti felix. Numquid potestati vestre possumus resistere. Sed dominus qui me ab adolescentia mea gubernare dignatus est: ipse vestram insaniam superabit. Tunc felix ad eum: ad te inquit sum destinatus. Eleutherius dixit. Et ego sciebam. Nec enim quicquam latebat eum. quia spiritu dei erat repletus.

Sic sanctus eleutherius aperiens os suum plurimis eos allocutus est sermonibus: ita ut omnes mirarentur super doctrina eius. Et cadens ad pedes eius felix comes: dixit ad eum. Da et mihi domine eleutheri talem intellectum: ut credam in deum tuum cui tu credis. Aptissime autem et vere cognosco: quia vana sunt que colui. Sic itaque eleutherius facta oratione imposuit ei manum. et fecit eum christianum. Egressi vero pergebant romam. Et venientes ad quendam locum: videns aquam felix: dixit ad eum. Domine episcope: ecce aqua baptiza me. ut deleantur peccata mea: et convertar ab insania qua teneor. Sic itaque eleutherius tenens manum eius. oravit dicens. Domine ihesu christe qui sanctum philippum apostolum tuum desiderantem eunuchum non prohibuisti baptizare: ita et nunc adesto super famulum tuum felicem. Et intingens eum dixit. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Post hec verba pergebat uterque romam cum militibus. Ingressus vero romam: nunciatum est adriano imperatori eleutherium advenisse. Iussit autem sibi rex alio die tribunal sterni in consistorio: et sedens pro tribunali eum sibi precepit offerri: et dixit ad eum. Eleutheri quid passus es. ut de tam nobili genere. et talis viri filius. vanissime traderes te religioni: et colas eum qui ab hominibus est crucifixus. At vero eleutherius stans studebat silencio. Adrianus vero imperator dixit ad eum. Eleutheri: responde ad ea que te interrogo. Sanctus eleutherius aspiciens in celum. facto signaculo christi dixit. Libertas vera est et nobilitas generis humani. cognoscere dominatorem celi et terre: et omnium nostrum creatorem. Adrianus dixit ad eum. Acquiesce mihi. et adora deos meos: et faciam te magnum in palacio meo. Eleutherius dixit. Verba tua amaritudine et dolo sunt plena tyranne adriane. Ego enim pro deo meo non tantum pati: sed diversis modis impendi paratus sum. Tunc fremens adrianus iussit afferri lectum eneum: et impositum eum per quatuor partes extendi precepit: ut eius interna membra dirumperentur. Ignis vero erat suppositus. Audientes vero romani tantum certamen. ad spectaculum concurrebant: et clamaverunt dicentes. Innocens et valde liber homo sine causa moritur. Et cum transisset hora: estimans rex eum iam defecisse. iussit eum solvi. Exurgens autem sanctus eleutherius deambulare cepit: et exten